

qui diffidia ferere, principumque animos disjungere nituntur, ut hac præsertim tempestate diffociatas fœderatorum mentes in communem perniciem accendant. Ad hæc rationes, quæ ad id Senatusconsultum coegerant, explicet; nihilque ob eam rem de summa in sanctissimam Sedem reverentia, atque observantia imminutum testetur. Cum Turonensi Comite, quem nuper oratorem ad Clementem Gallus miserat, ut ad fœdus instaurandum suaderet, Pontifex idem conquestus est, se invito Ecclesiæ oppida Senatum retinere velle: adjecit statim, Ravenna, atque Cervia a Republica receptis; Mutina, ac Regio a Ferrariensi Duce sibi traditis, nulla mora interjecta, fœdus amplexurum. Id Turonensis Gallo, atque Anglo oratoribus significaverat, per eos hortatus, ut quæcumque in gravissima re Pontificem remorari possent, statim a Republica præciderentur. Senatus decreto responsum est; mirari tam perturbato rerum statu Pontificem, qui in unicum Italiæ libertatem, & dignitatem incumbere, atque, ut illam a Cæsareanorum insolenti dominandi libidine eriperet, enixe contendere deberet, modo totum in re, quæ nullum ad eventum summam momentum haberet, defixum esse; cum præsertim ad illum orator designatus fuisset, qui propediem de Reipublicæ negotiis cum illo esset acturus.

*Clemens cū  
Turonensi  
Galliæ ora-  
tore de Ve-  
netis con-  
queritur.*

Inter hæc agenda, Cæsareanorum copiis in Neapolitanum regnum ingressis, de bello administrando diversis inter primores sententiis certabatur. Vastius recta adversus fœderatos proficisci, extremamque fortunæ aleam experiri suadebat; id vel majore militum numero, vel nondum omnibus nostrorum collectis copiis, haud difficile fore; cunctatione Cæsaris vires imminui, cum quotidie, ut varia, ac levia ingenia gentis sunt, quamplurimi ad Gallos deficerent; neque pecuniæ fatis ad continendos sub signis milites suppeditaretur; prospere confecto prælio, omnia in suam potestatem oppida, quæ fœderatis accesserant, concessura: depulso a Neapolitanorum cervicibus bello, reliquias in Insubribus confectum iri. Nonnulli contra tutius arbitrabantur, si loco & situs natura munito, & com meatibus importandis idoneo, castra locarentur, atque observato quid hostes agerent, inde consilia caperentur; potiusque intra Neapolitanæ urbis mœnia se reciperent, quam momento de amplissimi

*Cæsareano-  
rum Ducum  
de bello ad-  
ministrando  
diverse sen-  
tentia.*